

Beihef

2

S 108

1260 Lüdinghausen.

[31]

108

Der Ritter Hermann von Lüdinghausen befundet den Ankauf eines Zehnten im Käppl. Lette durch das Stift Varlar.

Hermannus miles de Ludinchusen omnibus praesentia visuris vel audituris gratiam Jesu Christi. Scripti tenacitas malignorum solet calumniis obviare. Noverint igitur universi tam posteri quam praesentes, quod dominus praepositus Wilhelmus et conventus ecclesiae Varlarensis emerunt ab Henrico Benine de Cosfeldia quosdam redditus sitos in parochia Lette, videlicet XVII scepel siliginis quatuor crateris minus Cosveldiensis mensurae, insuper viginti quinque denarios Monasteriensis monetae, quos redditus dictus Henricus tenuit de manu Hermanni militis de Porteslare jure videlicet feodali. Dictam vero pensionem dabit domus sita in parochia Lette et Heceline nuncupata. Ad instantiam autem praedictorum, praepositi videlicet et conventus, dictus Hermannus de Portes[er]je, Gudula uxor sua, pueri sui et omnes haeredes eorundem resignarunt ecclesiae Varlarensi proprietatem dictorum bonorum, quae tangebat ipsos, et hoc publice coram nobis. Ut autem habeatur noticia huius rei et ad posteros devolvatur, praesens scriptum nostro sigillo consignatum dedimus in testimonium talis facti. Acta sunt haec Lüdinghusen in figura nostri iudieci coram nobis, praesentibus istis, quorum nomina subnotantur: Hermanno juvene de Lüdinghusen, Thiderico Seleking, Florentio de Sprecke, Hermanno de Sendene, Hilderado, Henrico Salkinc, Emelrico militibus; Bernardo de Sendene, Bernardo, Joanne, Herbordo filiiis Emelrici praedicti, Thiderico et Caesario Salkinc, Godefrido provisore scholarum in Cosvelde et aliis quam pluribus clericis et laicis. Datum Lüdinghusen anno Domini M^oCC^oLX^o.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 26/27.